

non fuisse infligatos, sed diabolum ex quadam κακοζήλῳ ritus
 Judæorum sacrificiales apud eosdem quoq; adhibuisse. Non
 enim subscribimus sententiæ, quam Pontificii aliàs tuentur &
 L. Coquejus in Comment. ad D. Aug. de Civ. DEI Lib. X. cap. IV.
 ex Thoma desumptam tradit: *Sacrificium cum ipsa religione
 natum esse, religionem autem insitam esse naturaliter hominum
 mentibus, & offerre sacrificium esse de Lege Naturæ.* Et-
 enim (1) Petitio est principii, sacrificium cum ipsa religio-
 ne natum esse, quod debuisset probari. (2) Ponamus, ho-
 minem gentilem solo rationis usu eò pertingere, ut videat,
 naturam intimè esse corruptam, & cum *Aristotele* Lib. I. Nico-
 mach. c. 13. concludat, inesse animæ facultatibus aliquid aliud
 præter rationem naturaliter, quod pugnet & renitatur rationi:
 ponamus etiam, quod exinde deducat, se Deum peccatis offen-
 dere, adeoque illum ut summè justum scelera esse vindicatu-
 rum; num per naturam aliud, præter retractionem sive pœni-
 tentiam habebit medium, quo peccata credet posse extingui?
 Certè nulla apparet consequentia, quâ peccatis commissis ad
 boves aliaque animalia pro iisdem offerenda devenire possit.
 Confer Dn. D. *Alberti* P. P. Lipsiens. Comp. J. Naturæ Parte II.
 C. I. §. 14. & 15. Eleganter etiam b. Waltherus Offic. Bibl. p. 500.
 hæc de re judicium tulit: *Sacrificandi ritum, inquit, omni-
 um gentium usu & consuetudine receptum fuisse constat. Cu-
 jus originem primam ad humane rationis arbitrium referre,
 perquam foret absurdum, quod cum ratione hominis componi
 nequeat, quamobrem DEUS qui nec sanguinem haurit brutorum
 animalium, nec illorum carnibus aut vescitur, aut pascitur, eo-
 rundem nihilominus oblatione colendus sit. Cum ergo hæc neq;
 ingenii humani commenta sint, neque voluntatis mortalium in-
 venta, sed divine ordinationis statim à lapsu instituta & in Pa-
 trum familiis observata monumenta, oportet sacrificia inter
 Gentiles celebrata reliquias fuisse non obscuras illorum verorum*